PROSPERITATIS GERMANIÆ

SEXTA & ULTIMA PARS.

Qua non modo Arcana, in Parte Quinta jam revelata, clariore elucidatione illuſtrantur, ſed etiam ea, quæ, ad Patriæ contra Turcam defenſionem, ſcitu maxime neceſſaria ſunt, manifeſtantur.

Cum adjunctâ evidenti Demonſtratione, quod Imperfectiorum Metallorum in Perfectiora, per Salem & Ignem, tàm Particularis, quàm Univerſalis Tranſmutatio ſit veriſſima; ac quo pacto Unusquiſque, mediocri duntaxat Ignis tractandi cognitione præditus, viginti quatuor horarum ſpacio, ipſam veritatem experiri queat.

Incredulis Thomæ fratribus incredulitatem ſuam adimendi, & ipſam veritatem antè oculos ponendi causâ, ſincero animo, deſcripta & in lucem edita,

A

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno CIↃ IↃ C LXI.

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

VETERUM GERMANORUM vulgari proverbio verè ac rectè dici ſolet; Benefactori beneficia ſua beneficiis compenſanda; vel Accepta beneficia grati animi memoriâ recolenda eſſe. Sed omnibus hodierno tempore in pejus ruentibus, planè contrarium fieri, & benefacta contrà naturam malefactis compenſari videmus. Teſtatur hoc adeò manifeſtè quotidiana per totum Orbem Terrarum experientia ipſa; ut nullo ampliore teſtimonio opus ſit. Idem ego ipſe, proh dolor! hactenus multoties expertus ſum, & adhuc quotidie ſummo meo damno experior.

Annon ante aliquot annos incepi occultas Patriæ divitias revelare, ac fideliter indicare, quâ ratione, commodo Patriæ ſummo, acquiri poſſint? nimirum

In Primâ Parte, quomodo vini ac frumenti ſuperflua copia concentranda ſit, ut quamplurimos annos incorrupta maneat, &, neceſſitate poſtulante, multis egenis ſuccurratur.

In Secundâ, Tertiâ, Quartâ, & Quintâ Parte

 docui

docui fixa, & non fixa Metalla, ſummo cum emolumento, & ferè ſine ullis ſumptibus, ex vilium, pauperum, & ad fuſionis ignem adhibitas impenſas non reddentium minerarum, & terrarum Metallicarum corporibus, per aquas non ſumptuoſas extrahere, & in uſum convertere, quod ante me nemo fecit.

Annon maximis ſumptibus commodum Laboratorium extruxi, in quo Patriæ tàm utiliſſimas res in uniuſcujuſq; conſpectum produxi, & veras eſſe demonſtravi? Pro tantis meis beneficiis quid aliud, quàm in gratiſſimam animi oblivionem reportavi? Annon tàm apud ſummos quàm imos, cuncta, quæ docui, falſitatis, & fraudis accuſata ſunt ab iis, qui tàm audacter Metallorum, per Ignem & Salem, emendationem negare auſi ſunt? Qui Salispetræ confectionem ex Sale vulgari penitùs impoſſibilem ſtatuerunt, ac planè contrarium etiam Naturæ aſſeruerunt, quod Aquæ, ex Salepetræ paratæ, adminiculo ex pauperibus terris Metallicis, Metalla erui poſſint, quod tamen veritati maximè conſentaneum eſſe, Appendix Quintæ Partis, & Secunda Centuria indubitatis experimentis demonſtrant.

Quamvis autem dicta tria Arcana, adeò evidenter tradita, & deſcripta ſint, ut ab iis, qui tractare ignem noverunt, quaſi manibus palpari queant, parum commodi tamen hactenus attulerunt, eò quod, licet veriſſima, nihilominus tamen ab imperitis, ex merâ invidiâ, & odio perverſiſſimo,

ſiſſimo, contempta & abjecta ſunt, ac in contemptu hactenus hærent. Sed quis tàm pertinacia ingenia mitigabit? An cæcum candela accenſa juvat, ſi à naturâ viſu privatus cernere nequit? aut videns eò malitiæ ac perverſitatis procedit, ut antè oculos verſantem lucem aſpicere recuſet, ac petulanter oculos claudat? Cuncta bona, quantumvis excellentia, ab ejuſmodi hominibus mala, & perverſa cenſentur. Talia ingenia perverſa ad veritatem deducere, perinde eſt, ac ſi quis aquam cribro infundat, aut Æthiopem lavet. His tamen non curatis, ut plenâ menſurâ ipſis cuncta metiar, in animum induxi, adhuc nonnulla ſecreta patefacere, ex quibus in Patriam inſignes fructus redundare poterunt. Ac quidem non ſolum ad uſum quæſtuoſum convertendo, plures per totam Germaniam terras Metallicas, Aurum & Argentum continentes, quæ hactenus nemini ullum lucrum pepererunt; verum etiam defendendo Patriam contra periculoſiſſimam invaſionem Turcarum, totius Chriſtiani Orbis hoſtium capitalium, ejuſmodi defenſione forti & efficaci, cui nunquam ſimilis adhuc ab ullo mortalium ſubminiſtrata eſt. Quantum ad Minerales theſauros attinet, in Secundâ, Tertiâ, Quartâ & Quintâ Parte Proſperitatis Germaniæ, ut & in Appendice Quintæ Partis, ac Secundâ Centuriâ ſatis luculentam, & evidentem ipſorum deſcriptionem exhibui. Nihil tamen adeò perfectum & abſolutum eſt, quin ei progreſſu temporis aliquid novi adjungi, & aliquid

quid perfectionis addi queat. Patet hoc ex inſtrumento meo, cujus in Secundâ Centuriâ mentionem feci, cujus ope Aurum, Argentum, & Cuprum ex ſuis terris Metallicis facilè & copioſè extrahuntur, & quidem ita, ut, præter ignis impenſas, nulli alii ſumptus requirantur. Modus autem hic etiam illas terras Metallicas, quæ vulgò in pauperrimarum Minerarum cenſu habentur, ad uſum haud exigui lucri transferendo, illud tandem efficiet, ſi patefactus innotuerit, & in pluribus locis exercitatus fuerit, ut maximum in totam Germaniam lucrum ſit manaturum, id quod dictum inſtrumentum auxilio ſuo mirè promovebit.

Quanquam enim antehac in lucem protraxi acres aquas parandi, & iis ex pauperibus mineralibus Metalla extrahendi modos diverſos, qui haud contemnendum quæſtum afferunt, non tamen illud præſtant, quod dicti Inſtrumenti adjumento præſtari ſolet. Hoc enim non modo aquis illis acribus majore copia eliciendis inſervit, verùm etiam ipſorum Metallorum extractioni ex terris ſuis, ac ſolventis Menſtrui à Metallis ſeparationi longè aptius, & magis idoneum eſt, quam vaſa illa vitrea, quæ vulgò ad hanc operationem adhiberi conſueverunt. Multum igitur illius intereſt, qui ejuſmodi operationibus operam dare conatur, ut ejus uſum cognitum ac perſpectum habeat. In Secundâ Centuriâ ipſius quidem aliquam mentionem feci, ſed tamen non ita clarè,

ut

ut alicui uſus ejus ex iis, quæ dixi, penitus innoteſcat. Id propter conſultum duxi, aliquantò clariorem, & magis perſpicuam ipſiuſmet deſcriptionem hîc exhibere, ut nemini omninò meâ diligentiâ defuiſſe videar, ſed cunctâ claritate & ſuperfluitate debitâ expleviſſe dicar.

Inſtrumenti, copioſè Spiritus parantis, & facilè, ac ſine magnis ſumptibus Metalla ex terris ſuis extrahentis Deſcriptio.

INſtrumentum hoc ex bonâ, & ignem ac Spiritus tolerante terrâ paretur oportet. Ad ipſius confectionem Metalla ſunt inutilia, quippe quæ Spirituum corroſioni non diu reſiſtunt. Ut eò diutius autem ipſum Inſtrumentum in Igne conſiſtat, ſuperficies ejus externa ferreis vinculis munienda erit. Terreum igitur hoc vas ex tali terrâ fingatur oportet, quæ & ignis violentiam ferat, & Spiritibus corrodentibus reſiſtat, adeò ut nimio calore non rumpatur, & dehiſcat, nec à Spiritibus corrodentibus corrodatur, & perterebretur. Tales terræ plures paſſim in Germaniâ ſe obvias offerunt. Porrò ipſum illud Inſtrumentum majore, aut minore formâ efformari poteſt, prout quis majorem, aut minorem Spirituum copiam parare in animum induxerit. A nimiâ tamen magnitudine, & capacitate abhorret, quoniam igni non tàm facile reſiſtit, ſi debitam magnitudinem excedat. Unde neceſſarium, ut plura ejuſmodi

inſtrumenta conſtruat, qui grandem Spirituum copiam, unâ eademque vice, ſibi comparare ſtudet. Si quis autem hanc Operationem ingenti copiâ elaborare deſiderat, ſatius faceret, ſi inſtrumentum illud ex bracteis, ſeu laminis ferreis, ex quibus arma militaria fiunt, pararet, ac fila ferrea fortiora annecteret, ut ita tam exteriorem quàm interiorem inſtrumenti ſuperficiem, luto illo, ſeu argillâ forti, ubique illitâ muniret. Hac enim ratione Inſtrumentum, ſufficienti magnitudine ad labores requiſitos paratum, interiore ſuâ ſuperficie Spiritus corrodentes continebit, ac exteriore ignis violentiam ſine damno excipiet, longéque commodius erit, quam tot inſtrumenta parva, quæ ex ſolâ terrâ ſunt formata.

De hujus Inſtrumenti Formâ ac Figurâ.

MAteriæ, ex quibus acres Spiritus eliciendi ſunt, non ita nudæ ipſi Inſtrumento imponuntur, ſed quibuſdam fortibus ollis, aut tigillis terreis inditæ in illud immittuntur, ut poſt deſtillationem Spirituum denuo eximi, ac aliæ ollæ, novâ materiâ repletæ in ipſarum locum reponi queant, & quidem toties, quoties opus fuerit.

Quia igitur Sales diſtillandi, non ipſi Inſtrumento nudi, ſed ollis terreis immiſſi imponuntur, neceſſario Inſtrumentum ita paratum eſſe debet, ut ollæ illæ toties, quoties opus erit, & imponi, & poſt diſtillationem abſolutam rurſus

eximi,

eximi, ac novæ in ipſarum locum immitti poſſint. Eapropter Inſtrumentum ſuperius & inferius eandem dilatationem habeat, & ollarum imponendarum altitudinem non multum excedat neceſſe eſt. Unum vero latus ipſius oſtium habere debet, per quod ollæ imponantur & eximantur, ut ita commodè poſt impoſitionem & exemptionem claudi poſſit. Alteri lateri aptanda eſt capacior fiſtula, per quam Spiritibus in vas recipiens exitus pateat. Inſtrumentum autem ita furno eſt imponendum, ut oſtium, & fiſtula extrà furnum conſtituta ſint. Fiſtulæ verò adjungenda eſt alia fiſtula plumbea Serpentis inſtar ſe incurvans, ac ideò Serpens à Chymicis appellata, quæ in dolio aquâ impleto hærere debet,ut Spiritus tranſeuntes refrigerentur,& à vaſe recipiente excipiantur.

De Inſtrumenti Uſu.

SPiritus igitur diſtillaturus tot ollas, quot Inſtrumentum capere poteſt, Salibus paratis impletas ipſi impones, oſtium probè occludens, ac ignem furno imponens. Hoc facto ex ollis, in inſtrumento calefactis, Spiritus aſcendent, ac nullum alium exitum, quàm per fiſtulam,& Serpentem invenientes, illas intrabunt, refrigeratique in vas recipiens ſe conferent. Spiritus omnes ex Salibus expulſos eſſe, cognoſces inde, quando ex Serpente in vas recipiens effluere deſinent. Quod ubi animadverteris, oſtium aperies, ac

ollas ordine eximes, novaſque impones, ut ita diſtillatio ſine ullâ craſſatione continuetur. Ollæ vero illæ de novo imponendæ, aliquandiu furno apponendæ ſunt, ut incaleſcant; aliàs enim ita frigidæ furno impoſitæ, ſubitum caloris impetum ferre non poſſunt, ſed ruptæ dehiſcunt. Spiritibus cunctis egreſſis, aliæ novæ, exemptarum ollarum in locum, immittuntur, ac operatio tamdiu, ac toties iteratur, quamdiu & quoties opus fuerit, aut quis voluerit. Reſidui ſales in exemptis ollis Phlegmate aliquo, aut ſpiritu debiliore humectati, ac macerati, rurſus aliquoties per diſtillationem Spiritus emittunt, non tantâ tamen copiâ, quantâ ab initio emiſerunt.

Hic eſt ille, acres aquas, ad Cupri, & Auri extractiones neceſſarias, parandi modus. Aqua Fortis tamen, quæ ad Argenti extractionem requiritur, hoc ipſo inſtrumento parari nequit, utpote Serpentem, ſive fiſtulam plumbeam corroſura, ſi per ipſam tranſiret, quod Spiritus Salis, & Aqua Regis non faciunt.

NB. Aquam Fortem igitur paraturum, oporteret aliam fiſtulam ſe incurvantem, ex alio Metallo conficere, quod ab Aquâ Forti non læderetur, aut alia, fiſtulæ ex furno exeunti, vaſa lapidea adjungere.

Fieri quoque poſſet, ut ex frumento, & melle, adjunctis quibuſdam Salibus, adeò fortè acetum conficeretur, ut non ſolum Aurum, & Argentum, ſed etiam Cuprum, & Plumbum ex metallicis

venis

venis ſit extractum. Hæc de acrium Aquarum, ad Metallorum ex Mineris extractionem neceſſariarum, præparatione in præſentiâ ſufficiunt. Ipſa præparatio ſequitur.

Quomodo Metalla ex ſuis terris, Inſtrumenti hujus ope extrahenda ſint.

MInerarum, ſive terrarum Metallicarum, ad extractionem apparatus, in Quintæ Partis Appendice deſcriptus eſt, idcircò non neceſſarius, ut hic repetatur. Sicut verò ibidem indicatum eſt, ut toſtæ, & in pulverem redactæ mineræ cucurbitis vitreis, aut lapideis immitterentur, ut acribus Aquis humectatæ, & in calidâ arenâ maceratæ extrahi poſſint: Ita illud idem hîc faciendum eſt, uno illo excepto, quod cucurbitarum vitrearum, & lapidearum vicem, ollæ terreæ ſubeant, & ipſum inſtrumentum arenæ officio fungatur, in quo ſit extractio. Poſt extractionem Aqua, metallis extractis completa, effunditur, ac ipſa materia reſidua, aquæ communis affuſione abluitur, eo modo, qui in Appendice Quintæ Partis præſcriptus eſt.

Quâ ratione Metalla, per Solventem Aquam extracta ex Mineris, ab eadem illa Aquâ acri, ſine ullo detrimento, imo potius cum ipſius Aquæ augmento, ſeparanda ſint.

IN Quintæ Partis Appendice docuimus, ſi Metalla quis per contraria, nimirum per Alcaliſatos liquores ex ſolutione præcipitare nollet, nullam commodiorem, & propiorem viam eſſe, quàm illam, quæ per diſtillationem, ex vitreis, aut terreis vaſis, ab extracto Metallo, Solventem Aquam ſeparat. In hac ſeparatione, ſi quis Solventi Aquæ augmentum adjicere ſtudet, Salis communis additione voti ſui compos fiet, ab ipſo Aquam dictam abſtrahendo, quæ hoc pacto augebitur, ac fortior evadet. Ipſis verò Metallis, Aquâ eadem comprehenſis, nihil incommodi inde accedet, quod aliquid Salis apud ipſa remaneat, quoniam in Reductione, Sal dictus ipſis faciliorem, & promptiorem fuſionem, ac fluxum conciliat. Non tamen neceſſarium eſt, ut Sal ille apud Metalla relinquetur, cum melius ſit; ut aquâ communi à Metallis ſegregatus, ad alios ejuſmodi labores rurſus adhibeatur, quàm ut in fuſione amittatur.

Metal-

Metallorum, à quibus Aqua Solvens ſeparata eſt, Reductio.

Licet in Secundâ Centuriâ Reductio illa jam deſcripta ſit, eandem tamen hîc paucis repetere, operæ precium duxi. Ea duobus fit modis, & quidem partim in crucibulis, partim vero in Furno fuſorio, quem Stichofen Germani appellant. Pura Metalla, ut Aurum & Argentum in Crucibulis liquari, & reduci ſolent: Cuprum in furno dicto reduci poteſt, & ad reductionem ſuam nullum additamentum requirit. Ad Aurum, & Argentum reducendum, fixi Sales, vitrum Plumbi, Borax, & aliæ id genus additiones, de quibus in Secundâ Centuriâ mentionem largiorem fecimus, adhiberi poſſunt. In additione illorum materiarum, quæ facilioris fuſionis promovendæ cauſâ uſurpari ſolent, illud præcipuè ſpectandum eſt, an Metalla pura & ſola ſint, an verò alia Metalla ſibi admixta contineant, ut ita idoneæ additiones adhibeantur. Si enim Aurum etiam Cuprum, aut Ferrum comprehenderet, ipſi nihil commodius addi poſſet, quàm Antimonium, quod unâ eâdemque operâ Aurum reducit, & ab eodem Cuprum & Ferrum ſegregat, quod aliæ tales materiæ, ad faciliorem fuſionem conciliandam adhibitæ, non faciunt. Itaque neceſſe eſt, ut ejuſmodi laboribus operam daturus, fuſionis Metallicæ artificium probè calleat,

leat, & addendo ac demendo, pro re natâ, labores ſuos, uti pars eſt, adminiſtret. Fieri non poteſt, ut talia eo pacto alicui præſcribantur, ut confeſtim intelligere, addiſcere, & imitari eadem queat.

Aliæ nonnullæ operationes manuales, quæ in hujus Inſtrumenti uſu ſcitu ſunt neceſſariæ, & uſurpari poſſunt.

PRimò haud exiguum compendium eſſet, ſi ex duabus, aut tribus partibus ipſum Inſtrumentum componeretur, pro infimâ parte ſumendo ferream ollam latam, eique ſuperiorem partem cum oſtio ſuo, & fiſtulâ ſuâ imponendo. Quia autem Ollarum Ferrearum fundus aliqua rotunditate incurvatus eſt, ut Ollæ ipſis immiſſæ inæquali poſitu conſiſtant, ubi calcinato Alumine complanandus eſſet, ut Ollæ impoſitæ æqualem poſitum nanciſcerentur. Unde & hoc commodi etiam oritur, ſi ollæ rumperentur fortè fortunâ, & Solvens efflueret, quod hoc idem tali modo non amittatur, ſed in poroſum alumen ſe abſcondens facilè, in præparatione acrium aquarum recuperetur, & ad uſum adhibeatur.

Secundò Inſtrumentum etiam ita parari poſſet, ut dempta ſuperiori parte, ollæ ipſi imponerentur, iiſque impoſitis ſuperior pars inferiori rurſus adjungeretur, ac operculo ſuo iterum tegeretur, Ita enim non opus eſſet oſtio in latere, per quod aliàs ollæ immittendæ ſunt.

NB. Su-

NB. Superioris partis illius ſummitati crena quoque adaptanda eſſet, quæ arenæ plena operculum recipere, ac omnem Spiritibus exitum arcta concluſione adimere poſſet, ſicut in Secunda Parte Furnorum docuimus. Inſtrumentum dicto modo paratum pluribus forſan commodius foret, quàm ſi in latere oſtium haberet. Sed cuivis hunc, aut alium, illud conficiendi, modum eligere integrum erit.

Hiſce ſecretiorem meum, acres Spiritus Salium, inſigni copia, facilè parandi, & ad Metallorum, ex pauperioribus terris Metallicis, extractionem uſurpandi modum, & uſum aperui, & docui: Modum inquam facillimum tanta efficiendi, qui nunquam antehac Mundo innotuit. Nullum verò mihi dubium eſt, impoſterum Metalla hujus Artificii, & Inſtrumenti adjumento ex pauperioribus Mineris, Aurum, Argentum, ac Cuprum continentibus, ac ignis impenſas non compenſantibus, inſigni copia, & magno emolumento extractum, ac ad communem uſum adhibitum iri. Ac quoniam hujus Inſtrumenti ope, acres Spiritus Salium, non ſolum ad minerarum extractionem, ſed etiam ad humidorum Ignium concentrationem, facili negotio, & frequente copia acquiri, & humidorum illorum Ignium auxilio admiranda effici poſſunt, illud Artis Studioſis de meliore nota commendandi cauſam, & occaſionem ſufficientem habeo. Nam, ut illud taceam, quod Ignes illi frigidi optimum

aquæ,

aquæ, aut glaciei Magnetem exhibeant, ea etiam virtute pollent, qua Metalla maturare, & emendare poſſunt, quod in ſequentibus largiore deſcriptione perſequemur.

Præterea illis ipſis Ignibus frigidis, ad Patriæ defenſionem, contrà Turcam, Chriſtianorum hoſtem capitalem, & ſanguinis ſiti inſatiabili ardentem Tyrannum, in quibuſdam occaſionibus forſan longè plura, quàm pulvere pyriô præſtari poſſent, dum tales Ignes humidi, per apta inſtrumenta, in remotiora loca projicerentur, aut ex minoribus & majoribus illis tormentis, & cannis bellicis propellerentur, longè majus damnum hoſtibus illaturi, quàm pulvis pyrius facere conſuevit. Hoc pacto una imbellis fœmina plures armatos hoſtes repellere quibuſdam in caſibus poſſet, id quod fieri poſſe tamdiu negabunt homines, rerum naturalium rudes & ignari, donec patefiet; & contrà Turcam uſurpabitur. Idpropter, omnibus aliis negotiis omiſſis, in animum induxi, id genus Ignibus admirandis, inſigni copia conficiendis, omnibus viribus incumbere; cum mihi probè & certo conſtet, quanta & qualia, ipſorum adminiculo, damna Turcis inferri queant.

Ignes ſunt, quos inſtar aquarum quis ſecum ferre, & tractare poteſt. Citius non ardent, aut virum & equum proſternunt, quàm quis velit, ut illud faciant.

Imò ſi quis adhuc vires ipſorum intendere cuperet, alias materias ignivomas addendo, ipſos

longè

longè vehementiores, & efficaciores reddere poſſet, utpote quibus longè damnoſioribus, quam ſimplices illi ſunt Ignes, longè majora etiam effectui dantur.

Quandoquidem verò Ignes Concentratos Salium tanta ſolicitudine commendavi

Sedulis Patribusfamilias, ut tenuioribus ſuis vinis, cereviſiis, ac aliis potibus aquam ſuperfluam adimendo, eadem concentrent, ac in neceſſitatis caſu in fortes & firmas urbes deferant;

Pauperibus Chymicis, ut iiſdem Metalla corrigendo, & emendando paupertati ſuæ ſuccurrant;

Ac militiæ Præfectis Chriſtianis, & Patriæ ſuæ fidelibus, ut Turcis, Chriſtianorum juratis hoſtibus, animoſe reſiſtant;

Omninò neceſſarium judico, ut aliquanto clariore indicio de ipſis agam.

Quomodo & quâ ratione hic triplex, Frigidorum Salium, uſus, Patriæ utiliſſimus eſſe queat.

PRimo Concentrati Spiritus Salis maximam utilitatem conferre poſſunt, concentratione viliorum vinorum, quæ meliora reddunt, ſicut in Secundâ Centuriâ indicatum eſt, quando ſuperflua aqua ipſis ſubtrahitur, quod non tantum conſtantem bonitatem conſervent, verùm etiam longè commodius & facilius ex uno loco in alium transferri poſſint, adeò ut, neceſſitate urgente,

facilius ex locis, ab urbibus, & munimentis remotioribus, in firmiora loca, & munitas urbes tranſportentur, & conſerventur.

Unicuique in recenti adhuc verſatur memoriâ, quàm miſerè in præcedente bello, quod triginta annos duravit, cum hominibus comparatum fuerit. Si quis colonus cellas vino repletas poſſedit, milites in regionem impetum facientes, & horrendum in modum donis divinis abutentes, quicquid deteſtandâ crapulâ conſumere non potuerunt, nefario facinore in terram effunderunt; Milites inquam illi, & tales homines, qui adhuc Chriſtianos ſe profitentur, & de Chriſtiana Religione gloriari audent. Hinc facili conjectura provideri poteſt, quid futurum ſit, ſi tanta Turcarum multitudo Patriam noſtram obrutura eſſet, quod inſtans malum à nobis Deus clementer avertat.

Noachi temporibus mortales in ſumma ſecuritate viventes, pii illius viri conciones, & admonitiones, quibus per viginti annos ad reſipiſcentiam ipſos hortatus eſt, ſuſque deque habueruut, ederunt, biberunt, nupſerunt, & duxerunt, donec aqua diluvii omnes obruit, nec ullus reſipiſcentiæ locus relictus amplius fuit, ut Sacræ Literæ teſtantur.

De Sodoma & Gomorrha legimus, quod perditi luxu illarum civitatum incolæ pii Lothi redarguitiones, & commonefactiones tamdiu ſpreverint, donec ignis ab ira Divina immiſſus ipſos conſumpſit. Quis

Quis hoc tempore Deum timet, ac piè vivit? Fortior & validior viribus infirmiorem, ac debiliorem opprimit, nec ſibi in memoriam revocat, longè potentiorem adhuc eſſe, qui, quando vult, venit, & de validis ejuſmodi oppreſſoribus ſupplicium ſumit. Sed hæc, atque alia id genus planè ludibrio habentur.

Nonne ſatis nos Deus præterito anno 1660, monuit, & nobis iram ſuam indicavit horrendis iſtis tempeſtatibus, procellis, & terræ motibus, quibus tota ferè Europa contremuit? Annon ipſo hoc anno 1661, eandem ſuam iram nobis oſtendit? Quid Cometa ille in cœlo jam viſus portendat, facili conjecturâ quivis aſſequi poteſt: Profectò nil niſi malum minatur, præcipuè quia caudam ſuam, præter aliorum Cometarum conſuetudinem, verſus ſuperiorem Cœli partem extendit, perinde ac ſi diceret vellet: Vobis hominibus non hanc aut illam Regionem, non hunc aut illum hoſtem oſtendam, qui vos caſtiget, ſed Regem illum omnium Regum in cœlo, qui ſibi propoſuit de malitia veſtra ſupplicium ſumere, cujus virgam, extentam ad vos puniendos, ſeriis precibus, vera pœnitentia, & ſeria emendatione vitæ veſtræ, à vobis amovere poteritis, dum vobis ad reſipiſcendum tempus conceditur, ſi modò tales admonitiones apud vos locum invenerint. Quid autem quæſo nobis apportabit tepida hæc hyems, quæ omni frigore, nive, & glacie deſtituta permiſit, ut in ipſo menſe Februario arbores flo-

ruerint, prata floribus veſtita fuerint, & matura ceraſa viſa ſint? Proculdubio aliud nihil, niſi omnis generis venenatos, & celeriter homines vita ſpoliantes morbos, quibus humanum genus affligetur. Ac ſi frigus intenſum ſequeretur, quod facili negotio contingere poſſet, annonæ caritas haud dubio ſucceſſura eſſet, ob corruptionem vini & frumenti, quorum germina jam pullulantia eò proceſſerunt, ut frigus ipſis facile exitio eſſe queat. Annon his præcurſoribus, & ſignis de ira Dei futura, & nobis immittente ſatis ſuperque admonemur?

Huc accedit Magna illa Planetarum omnium Conjunctio in Sagittario, qualis non fuit ab illo tempore, in quo omnes Planetæ in Aquario conjuncti fuerunt. Hæc Conjunctio præceſſit Diluvium, quod totum genus humanum, uno Noacho cum ſuis excepto, aquarum inundatione ſuſtulit. Quid autem proximè futura, & proximo anno 1662. ſe exhibitura illa Conjunctio Magna in Sagittario nobis allatura ſit, Deus novit. Sagittarius Signum eſt Martiale, & exitiale, quod nihil aliud niſi diſſenſiones, ſeditiones, & tumultus bellicos portendit, ac proinde nonniſi bella cruenta nobis vaticinatur, adeò ut maximè verendum ſit, Mundum hunc ingratum, flamma ac ferro, ab ira Divina, conſumptum, ac deletum iri, quod malum tamen Deus clementer à nobis avertat. Conjunctiones ejuſmodi profectò aliquid boni portendere, & ſecum trahere non ſolent.

Hoc

Hoc in caſu tamen mendax eſſe exopto, quanquam vereor, ne plus mali, quam quidem nobis gratum erit, nos obruat.

Nam ſi Deus nobis digito ſuo aliquid commonſtrat, illud majoris apud nos ponderis eſſe debet, quam omnia ſcripta humana, quæ errare poſſunt. Deus autem nihil ſine causâ, nec etiam fruſtrà facit. Nullo unquam tempore, Cometa aliquis in aëre ſe conſpiciendum dedit, quin multæ calamitates ipſum conſecutæ fuerint. Facilè admodum evadere poſſet verum illud vaticinium, quod Veteres pronunciarunt, fore nimirum, ut anno 1660. Alchymia florere quidem ſit inceptura, ſed tantam etiam mutationem ſecum allatura, annis ſequuturis, eamque adeò horribilem, ut tertia hominum pars fame ac peſtilentiâ, tertia ferro ac flamma peritura, ac tertia duntaxat reliqua manſura ſit.

Sed ejuſmodi tempus calamitoſum terrorem, ac metum injicere poteſt impiis, & nefariis hominibus, qui ſuum Cœlum in hâc terrâ ſibi conſtituentes, pro arbitrio, ac voluntate ſua, ſine ullo impedimento, veritatem & juſtitiam opprimere conantur, ac cruciatibus torquent. Hi facili conjectura augurari poſſunt, quod in futura vita non aliud cœlum, ſed plena, ac cumulata menſura ſibi expectanda ſit. Pii verò, quos in hâc miſeriarum valle impii homines infinitis cruciatibus exagitarunt, lætitiâ potius exultabunt, quam ut tale tempus extimeſcant, utpote qui probè noverunt,

quod Deus neminem duplici pœnâ afficiat, aut duplici virgâ caſtiget. Docent hoc ipſius Chriſti verba, quæ illos beatos prædicant, qui propter juſtitiam patiuntur, quippe ad quos Regnum Cœlorum pertinet. Apoſtolo Paulo docente, tota rerum Natura, omneſque creaturæ diſſolvi, & vanitate, cui contra voluntatem ſuam obnoxiæ ſunt, liberari deſiderant. Sed væ vobis impiis, qui verum, æternum, infinitum, & juſtum Deum non timentes, terreno Mammonæ adhæretis, qui tamen vobis nulli præſidio eſſe poteſt, ſed unà vobiſcum evaneſcere cogitur, illo tempore, quo omnia conturbabuntur, & peſſum ibunt. Idcirco temporibus ejuſmodi afflictis, pius Chriſtianus longè firmiorem in ſua bona conſcientia fiduciam, quàm impius aliquis in ampliſſimis ſuis divitiis, grandique potentiâ, ponere poteſt.

Non tamen eam in partem, hoc meum prognoſticon ſumi volo, quaſi extra omne dubium cuncta ita futura ſint, uti à me prædicuntur. De futuris annis meditationes duntaxat meas aperire volui. Cuncta enim in ſolius, & unius Dei poteſtate ſita ſunt, apud quem unum & ſolum auxilia, & præſidia firma nobis in promptu eſſe ſcimus, ea propter neutiquam noſtris viribus & potentiæ confidentes, quæ omnibus caducis rebus vaniores ſunt.

Quia verò nobis, naturalia hoſtes noſtros arcendi media, conceſſa ſunt, meritò eadem in uſum noſtrum adhibemus, quantum in nobis ſitum

eſt;

eſt; quandoquidem ad quemvis Chriſtianum hominem pertinet, ſummam operam dare, ut communi totius Chriſtianitatis Inimico capitali, pro viribus reſiſtatur.

Ut igitur ego ipſe, in Patriâ defendendâ, inter poſtremos non deprehendar, in hoc libello decrevi auxilium, & opem meam conſpiciendam exhibere, non quidem pecuniam & opes, quibus deſtitutus ſum, ſubminiſtrando, ſed tantum artificioſas offerendo, & patefaciendo Inventiones, quibus validè hoſtibus reſiſti poterit. In omnibus enim rebus ſæpè prudentia & ingenio longè majora præſtari poſſunt, quam viribus & fortitudine, id quod ex pulveris pyrii operationibus efficaciſſimis liquidò conſtat, quæ longè majora effecta producunt, quàm unquam humanæ manus, quantumvis fortiſſimæ, producere poſſunt.

Satis notum eſt, pulveris pyrii uſum non ſemper cognitum, ſed primò in Germaniâ, anno 1380. à nato Chriſto, inventum eſſe à Monacho quodam, qui fortè fortunâ vires ejus horrendas detexit. Neminem quoque fugit, quantas, antè ipſius manifeſtationem, victorias contrà inimicos ſuos obtinuerint ii, qui ejus uſum jam perſpectum habuêre. Poſtquam verò jam in vulgus innotuit, utrique parti contrariæ inſervire poteſt, adeò ut neutra, præ alterâ, majus inde commodum percipiat, ac tota res, poſt divinam benedictionem, in ſolâ hominum multitudine, quæ ipſorum potentiam conſtituit,

non autem in Arte conſiſtit. Sicut autem ab initio incredibilis planè res viſa fuit, cum audiretur, ex tàm vilibus ſubjectis, ſulphure nimirum, Salepetræ, & ligneis carbonibus, tantarum virium pulverem componi poſſe; Ita etiam omnem fidem in principio ſuperabit, ubi auditu percipientur, ex talibus ſubjectis aquas parari, quibus tot, & tam admiranda effici queunt.

Memoriæ autem proditum eſt, dictum Monachum, non de induſtriâ, pulverem pyrium indagaſſe, ſed Chymicis deditum, ac Salispetræ & Sulphuris operationibus occupatum aquam ex iis diſtillare conatum eſſe. Caſu autem horum ſubjectorum miſtionem inflammatam cuncta confregiſſe, ac in fruſta comminuiſſe. Hinc innotuiſſe homini Salispetræ, ac Sulphuris inauditæ vires, quæ ſibi invicem penitus contrariæ, tantas concuſſiones excitant. Idem uſu venit mihi, ex Sulphure, Salepetræ, aliiſque Salibus, acres aquas, ad propoſitum meum idoneas, paranti, in quibus operationibus animadverti, quod talibus Aquis Igneis longè majoris momenti effecta, quàm pulvere pyrio, produci poſſint. Nihilominus talia ſecreta ſummo ſilentio texi, nec ulli hominum manifeſtavi, quamvis jam antè viginti annos mihi cognita fuerint, illud unicum veritus, ſi innoteſcerent, ne Chriſtianis ad mutuas vexationes inſerviant.

Quia autem Deus jam toti Orbi Chriſtiano pacem largitus eſt, ac Turcæ magis ac magis

Chri-

Chriſtianos, perſecutionibus ſuis tyrannicis, perſequi, & vexare incipiunt, ac radicitus eos extirpare conantur, ſicuti jam in Hungariâ, conatuum ſuorum deteſtandorum initium fecerunt; capto conſilio cum amicis meis, an etiam conſultum foret, ut illa ipſa ſecreta Chriſtianis patefacerem, quo contrà Turcas in uſum adhiberentur, ab ipſis admonitus ſum, ut ad ipſorum revelationem progrederer. Eapropter, omnibus aliis negotiis meis intermiſſis, ei rei unicè operam dedi, ut id genus Aquarum Ignearum inſignis copia in promptu eſſe queat, quæ tanquam firmiſſima præſidia, tàm offenſivè, quam defenſivè, contra Turcas uſurparentur. Feci autem hoc tanto libentius, & promptius, quia nullum hominem occidunt, ſed tantum ſummâ debilitatione eo redigunt, ut victi & ſuperati, negotio facili capiantur, & captivi abducantur. Nam ſi hæc mea Inventio ita comparata eſſet, ut homines vitâ ſuâ orbaret, nullo unquàm tempore ipſam in publicum producerem, & patefacerem. Unde etiam eâ opinione adhuc imbutus ſum, Monachum illum Bartholdum non bene feciſſe, quod pulveris pyrii præparationem & uſum, quo tanta hominum multitudo perfundatur, ac neci datur, divulgaverit.

Hâc vero Inventione meâ, nulli homini vita eripitur, ſed hoſtibus victoria extorquetur. Hoſtes autem adhuc vivi, & in captivitate detenti, ad varios labores cogi, ac meo quidem judicio plus commodi afferre poſſent, quam ſi vita orbarentur.

Nullum mihi dubium eſt, quin etiam ſapientiſſimis hujus mundi, ea quæ hic propono, impoſſibilia videantur. Nec mirum. Inaudita enim ſunt, & non viſa omnem fidem excedunt. Pennæ hîc nimium committere, & confidere non audeo, licet paucis verbis ea indicare poſſem, quæ unumquemque ad veritatis cognitionem deducerent, ut ipſam vel manibus palpaturus eſſet. Sed caute mihi agendum, ne tam acria, & tamen non occidentia arma in hoſtium manus incidant.

Ut tamen cupido Lectori aliqua duntaxat ratione ſatisfaciam, paucis ipſi ſignifico, totam Artem in eo tantum cardine verſari, ut artificioſarum illarum aquarum inſignis multitudo, ſine magnis impenſis, comparetur, ac ipſæ paratæ poſteà quibuſdam Inſtrumentis ſecretis, tàm offenſivè quam defenſivè, ad uſum adhibeantur. Nam Ignes illi aquei, & aquæ Igneæ, de quibus loquor, adeò urentis ſunt naturæ, ut nec homines, nec equi, quos attingunt, ipſis reſiſtere valeant. Interim tamen mortem non inferunt, niſi ſi quis iiſdem alios necare conaretur, ad quem finem peculiari adhuc præparatione adornari poſſunt. Per ſe uti paratæ ſunt, neminem necant, verum viros juxtà cum equis, in tantas anguſtias redigunt, ut magnorum dolorum impatientes, ſeinvicem adoriantur, atque ita ordine ſuo perrupto, ad propriam ſuam ruinam præcipites eant. Hoc facto contrariæ parti dimicatio redditur facilis, ut ſine ullo labore hoſtes ſuos fugare, & captivos reddere queat.

queat. Ulterius dicendo progredi non auſim, pro auctario ſaltem hoc addens, quod etiam fœminæ, in virorum defectu, hâc mea Inventione, non modo hoſtes ab aliquo loco munito arcere, ſed etiam ipſos, munitum aliquem locum jam ingreſſos, ex eodem exigere, aut in illo ipſo magnam eorum multitudinem lapidibus obruere queant. Licet hoc incredibile videatur, veriſſimum tamen eſt, proculdubio brevi tempore, maximæ defenſioni Patriæ inſerviturum, poſtquam in lucem prodierit.

Quod ad facilem, ac minimè ſumptuoſam humidorum Ignium præparationem, eorumque debitum uſum, ipſaque Inſtrumenta ad hunc uſum requiſita attinet, ea cuncta iis tantum monſtrabuntur, & aperientur, qui iiſdem contrà Turcas uti poſſunt, & volunt: Cæteris non item, quod hîc admonitionis loco ſignificare volumus.

Parvum hoc, & tamen magni momenti Secretum, quod contrà hoſtes Patriæ maximo cum emolumento uſurpari poteſt, ſatis hac vice revelavimus. Interea ſpero, adhuc hoc anno, Chriſtiani Orbis hoſtibus, maximum damnum eodem illatum iri, quod Deus ſuâ gratiâ & benedictione fortunare velit, ut ſui nominis Sancti gloriæ, & honori eſſe, ac Chriſtiano Orbi, horrendis perſecutionibus à Turcâ exagitato, ſolatium, & auxilium adferre poſſit. AMEN.

Sequitur Tertius uſus in verâ Metallorum emendatione, ex quâ in Patriam magnum quoque emolumentum redundare poteſt.

QUæ veram & indubitatam Metallorum emendationem per Salem & Ignem concernunt, ea in Proſperitatis Patriæ Quintâ Parte, ac ejuſdem Appendice jam ſatis ſuperque demonſtravi. Quia verò mea vera demonſtratio, ibidem facta, non paucis, ſatis clara, & perſpicua viſa non fuit, ac proinde ipſi, veram Metallorum tranſmutationem non dari, ac ejuſmodi aſſertiones meras fabulas, meras fallacias, & mera ſomnia eſſe, ſumma falſitate aſſerere auſi ſunt; Idcircò intermittere non potui, ut impiis ejuſmodi hominibus Diabolica ſua ora obturarem, & ipſos coràm omnibus honeſtis hominibus in ruborem darem, quin evidentem & palpabilem veritatem patefacerem, ac in lucem producerem. Hoc mihi factu haud difficile eſt, utpote qui antè plures annos de ipſa purâ puta veritate certus fui, ac proinde facili negotio aliis eandem ob oculos ponere poſſum, & quidem non tantum particulariter, ſed etiam univerſaliter, adeò ut etiam cœci videre, & manibus palpare queant, Metallorum Tranſmutationem anilem fabulam non eſſe, ſed certam, ac firmam, & ex ipſius Naturæ fundamento ortam ſcientiam exiſtere. Hoc ſi fecero, rerum mearum ſategi, & non modo mea ipſius ſcripta, ſed etiam alio-

aliorum honeſtorum Virorum veriſſimas aſſertiones, quas memoriæ prodiderunt, defendi, ac evidenter demonſtravi ea, quæ nunquam fieri poſſe, hominum maximæ parti videntur.

Quanquam plurimi nobis veritatem ſcriptis ſuis reliquerunt, ea tamen obſcuritati tantæ involuta ſunt, ut ii, quibus artis fundamentum incognitum eſt, nunquam ex ipſis certi quid addiſcere valeant. Unde fit, ut tot mortales, irritis laboribus, tantæ arti incubuerint, atque id propter ipſa ars in contemptum maximum abierit. Illuſtri illo Philoſopho Coſmopolitâ teſte, Metallorum Tranſmutatio, res tam exigui momenti non eſt, ſicut ex præfatione, ipſius Scriptis præfixâ, patet, ubi etiam indicat, eum, qui eam cognitionem conſecutus eſt, ut imperfectius aliquod Metallum in perfectius mutare ſciat, licet ſine emolumento fiat, apertam offendiſſe januam, & introitum ad majora ducentem, id quod veritati etiam maximè conſentaneum eſt. Nam ſi quis imperfectius aliquod Metallum, his vel illis materiis tractando, comperiet, illud ad Auream, aut Argenteam naturam acceſſiſſe, plenioribus & accuratioribus meditationibus rem penitius introſpicere, & omninò indagare poterit, unde illa emendatio proficiſcatur, & quo pacto labores inſtituendi ſint. Cum igitur quis hoc vel illud Metallum Ignis beneficio conſtans, ac fixum reddit, & præter Salem, nullam aliam materiam ad operationem illam adhibet, Metallique veram emendationem com-

comperit, nulli profectò alii rei, quam Igni & Sali eam adſcribat oportet. Certò autem ſciens, quod Metallorum emendatio, nullius alius rei, quam Ignis & Salis ope, perfici poſſit, nulla alia indagatione indigebit, & potius in id unum incumbet, ut quàm commodiſſimè per Salem & Ignem Metalla tractare, & emendare cum emolumento queat. Si voti compos erit, in ipſum utilitas inde redundabit; Sin minus, non arti culpam imputabit, ſed ſibi ipſi, qui artis poſſibilitatem quidem vidit, ſed non intravit per ipſam, ad magnos theſauros patentem, ut partem ſibi debitam inde ſumeret. Sed quia raró admodum reperiuntur adeò felices homines, qui clavem aperientem oſtium ad myſteria; inveniant, haud abs re me facturum exiſtimavi, ſi illam clavem hîc detegerem, & monſtrarem, quo pacto janua, quâ conclave artium occluditur, reſerari ſoleat. Si jam Artis Studioſo illam intrare placuerit, illud facere ipſi per me integrum erit, ut ità theſauris illis potiatur. Metam, quam mihi propoſui, non transgediar: cum mihi ſufficiat viam rectam & regiam oſtendiſſe, per quam cuilibet iter facere licebit, ut ad deſtinatum ſuum finem perveniat.

Quod autem ad clavem, verum artis conclave, in Alchymiâ verâ, reſerantem, attinet, confidenter affirmo, Sales eſſe tales claves, ac inprimis Salpetræ, ut & Sal communis, cum Vitriolo, quorum quivis per ſe ſatis efficax eſt, in aperiendo oſtio, quid Artis Conclave in Alchymiâ occludit.

Unus

Unus autem Sal alteri junctus, uti par eſt, ac ars requirit, plus efficit, ac majores vires exerit, quam ſi ſolus maneat, quod mea Scripta paſſim prolixè indicant. Cumprimis verò Sales illi cæteris potentia & viribus antecellunt, qui primo volatiles, aut ſpirituales facti, poſtea rurſus corporales redduntur, ſicut ſequens exemplum evidenter demonſtrat.

Evidens demonſtratio, fieri poſſe, ut per Salem & Ignem viliora Metalla in meliora mutentur.

℞. Vitrioli 2. & Salispetræ boni 1. partem, probè commiſce, ac ex commiſtis Aquam Fortem diſtillationis opera elice. Hac ſolve Argentum, ſive Plumbum, ac ſolutioni Salis Spiritum, aut Salem communem duntaxat aqua ſolutum affunde, ut Metalla ſoluta in album pulverem mutentur, & ad fundum vaſis ſe recipiant. Aquâ Forti liberatam Argenti aut Plumbi calcem, aquâ pluvia elues, ac quarta parte auctam invenies, quod augmentum nullâ aqua ablui poteſt. Spiritus autem hi Salini Lunam, & Saturnum adeò volatiles, fuſiles, & fugaces reddunt, ut in parvo calore fluant, & omnia dura corpora penetrent. Eapropter talibus fugacibus & fuſibilibus Metallis Mercurii nomen indidi, qui Mercurius Lunæ, aut Saturni tantum ex Sale ſibi adſcivit, quantum ipſi opus eſt ad ſui emendationem in

Igne, quando actione mutuâ ſe invicem exercent, ac Sal Metallum maturat.

Sed quid conſilii hîc captandum, quandoquidem hæc Metalla fugacia fortioribus Ignis viribus reſiſtere nequeunt, atque id propter in fumum abeunt? Quando autem in Igne non patiuntur, & non moriuntur, quonam pacto emendari poſſunt?

Nullum hîc melius conſilium iniri poteſt, quam ut, præcavendæ fugacitatis cauſa, ipſis fixum aliquod corpus Metallicum adjungatur, in quod fugax, facile fluens, & falſum Metallum ſe abſcondat, atque ita Ignem ſuſtineat. Inter fixa hæc Corpora Metallica, in cineres redactum Stannum, quantum mihi quidem hactenus conſtat, ad hanc operationem eſt aptiſſimum, quia præ cæterorum Metallorum Calcibus, ad fuſionem minus proclive, & promptum eſt.

Experimentum igitur hujus operationis facturus, uni parti Mercurii Lunæ aut Plumbi adjunge duas partes alborum cinerum Stanni, quas probe miſtas, & luto diligenter munitæ cucurbitæ vitreæ immiſſas, impones in arenam, paulatimque ignem ſubminiſtrabis, donec materia in vitro probè incandeſcat. In hoc candore ſubobſcuro tamdiu relinque, uſque dum aliqua materiæ pars per ſublimationem in Alembicum ſuperpoſitum, & ipſius cucurbitæ collum adſcendat. Alio Alembico impoſito, omne ſublimatum ex priore alembico eximendum, ac materiæ ſuæ in cucurbitâ redden-

reddendum eſt, & tamdiu relinquendum rurſus in igne, donec iterum aliqua pars per ſublimationem in alembicum adſcenderit. Hæc ex dempto alembico exempta, denuò in cucurbitam injicienda, materiæque priſtinæ addenda eſt, donec iterum portio aliqua, ex materia in alembicum impoſitum ſe receperit. Tot autem iterationibus hi labores repetendi ſunt, uſque dum nihil amplius in alembicum aſcenderit, ac omnis materia in cucurbitæ fundo fixa manſerit. Hoc facto, fortior ignis ſubminiſtrandus eſt, ut Metalla Salis vim patiantur. Nam quo magis, & quo diutius Salium violentiam tolerant, eò emendatiora & meliora evadunt, quæ exempta, debitis ſuis materiis adjunctis reducta, & per Cupellam ſeparata, inſigne Auri & Argenti augmentum expromunt.

Indubitatum hoc experimentum, ac evidens demonſtratio, evidenti ſuâ operatione, Metallorum emendationem, ac in meliora, & puriora mutationem, clarè ac perſpicuè docet, & probat. Si autem alicui laborioſa & moleſtiarum plena videretur, compendioſiorem, & minori labori obnoxiam veritatis indagandæ viam ipſi ſubminiſtrabo.

Eâdem dictâ mixturâ, una videlicet Mercurii Saturni, ac duabus cinerum Stanni partibus, reple crucibulum aliquod Haſſiacum melioris notæ, & pollice materiam ipſi arctius imprime, aliudque minus tigillum illi majori imponendo

adapta, ut arctè, & aptè orificiis ſuis coëant, nec alterum ab altero recedat; ſi convertantur. Prius tamen huic ſuperiori aliquot cupri laminæ imponendæ ſunt, quàm ſupra inferius ponatur, ita tamen, ut in tigillorum converſione ex ſuo loco non recedant. Utrumque tigillum quoque muniendum eſt probè luto, quod rimis non dehiſcit, dum exſiccatur, & etiam illinendo corrigi poteſt, ſi quibus adhuc rimulis hiaret; idque propterea, ut nullus omnino fumus exeat. Exſiccato luto, tigillum hoc duplex igne circulari circunda, ignemque magis ac magis auge, & paulatim propius admove, donec probè incaleſcat. Tandem prunas largiores ipſi appone, totumque ipſis contege, ut ubique candeat, in quo fervore ignis per 2. aut 3. horas relinquendum eſt. Poſtea in refrigerato, exempto, & aperto tigillo Cupri laminas aliqua ratione tinctas albo colore invenies, qui tamen color non ita conſtans, & fixus eſt, ut in Cupellâ apud corpus ſuum maneat. Idcirco neceſſitas poſtulat, ut laminæ illæ Aquâ Forti ſolvantur, & Salis in aqua ſoluti affuſione præcipitentur, in quâ præcipitatione, Argentea calx ad fundum præceps ibit. Hæc aquæ affuſione liberata ſalſedine ſuâ, & exſiccata, involvenda eſt plumbeæ chartæ, ſeu plumbo inſtar chartæ tenui, ac imponenda candenti Cupellæ, in qua parum plumbi fluere debet, quod Argenteam Calcem in plumbea papyro hærentem, ac volatilem promptius recipiat, & impediat, quo minus in

fumum

fumum abire poſſit. Plumbo conſumpto, Argenti granum in cupella reſidebit, quod Aqua Forti ſolutum aliquid Auri ad fundum dimittet. Materiæ in tigillo reſiduæ, ſi aliquid reducatur, plumbo coquatur, & in ſcorias redigatur; ex regulo in Cupella etiam granum Argenti, Aurum continentis, remanebit. Sed modus hic emolumentum non adfert, utpote qui eo tantum fine hic docetur, ut rei poſſibilitas demonſtretur. Si autem quid utilitatis ex tali operatione acquirendum eſſet, neceſſarium omninò foret, ut ejuſmodi vaſa adhiberentur, in quibus nihil planè per fumum evaneſceret, ſed cuncta materia una maneret, & conſtantiam, ac fixitatem conſequeretur, quod in crucibulis fieri non poteſt, ſed dicto modo utilem emendationem eſt allaturum.

Quærat jam aliquis, unde illud Aurum & Argentum veniat? an ex Plumbo, an verò ex Stanno? Ex utroque proculdubio. Cum igitur Cupreæ laminæ in hoc Cemento, ut & ipſe pulvis Cementatorius, Auream, & Argenteam naturam induerint, numquis dubitare poterit, veram hanc eſſe Tranſmutationem per Salem, & Ignem? Id quod cumprimis etiam liquet ex ipſis laminis cupreis, quibus nihil aliud profectò acceſſit, quàm ipſi ex pulvere Cementatorio aſcendentes Spiritus Salini, qui in candore Ignis cuprum penetrarunt, & illud tàm brevi temporis ſpacio emendarunt. Nunquis igitur tanta oculorum caligine cæcutiret, ut hic videre non poſſet, quod Metal-

 lorum

lorum emendatio hæc, à Sale & Igne profecta ſit? Tantâ viſus obſcuritate occæcato certè nemo medicabitur, ideo in tantis tenebris toto vitæ ſuæ tempore hæſuro. Operatio enim hæc tanta claritate & perſpicuitate oculis expoſita eſt, ut etiam manibus palpari, & animadverti poſſit.

NB. Si quis hujus operationis adjumento plus Argenti atque Auri acquirere ſtuderet, Mercurii Saturni loco Mercurium Lunæ adhibere poſſet, qui longè plura, quam Saturnus largiturus eſſet.

Horum, ac id genus aliorum experimentorum haud exiguam copiam ſuppeditare poſſem, ni brevitas temporis eorum enarratione me ſuperſedere juberet. Qui ex his nihil addiſcere poterit, ei majora nulli uſui futura ſunt. Ita de novo ſatis evidenter demonſtratum eſt, Particularem Metallorum Emendationem, à ſolo Sale & Igne effici, ac proficiſci.

Infallibilis Demonſtratio, per Salem, & Ignem veram Tincturam, ſive Univerſalem Medicinam ad Metallorum emendationem parari poſſe.

℞. Mercurii Saturni, aut potius Lunæ libram 1. Cinerum Stanni libras 2. has materias mixtas in retortam vitream luto munitam immitte, eamque impone arenæ, aut potius aperto igni in furno, ignem per gradus adhibe. In hac operatione Sales Mercurio Saturni, aut Lunæ inhærentes, vires ſuas in Jovem exerunt, ipſum adoriun-

riuntur, relictoque Argento aut Plumbo, inſtar Mercurii Sublimati in Retortæ Collum adſcendunt, admodum graves ſunt, & ponderoſi, ac raro in vas recipiens deſcendunt, eo quod mox conſident, cumprimum refrigerationem aliquam ſentiunt. Ideò neceſſe eſt, ut retortæ collum ſit capacius, quo Mercurius Sublimatus ſpatium majus, & amplius offendat, & eodem deſtitutus Retortam non confringat. Poſtquam autem retorta in candore per tres horas conſervata fuit, quod tempus ad aſcenſionem ſuam Mercurius ſublimatus requirit, igne continuando ceſſa, ut refrigeretur. Ex retortæ refrigeratæ collo Sublimatum, cujus 8. circiter lotones invenies, exime, ac ſequenti porrò ratione ipſum tracta, ut mox dicemus. Reliquias cum duabus Reguli Antimonii Martialis partibus miſtas fundendo in corpus reduces, Salepetræ Regulum & Stannum ab Argento elues, ut Argentum tuum recipias, non ſolum à Jove auctum, ſed etiam aliquâ Auri naturâ imbutum, quantum quidem tàm brevi tempore Salibus idem maturare licuit, quæ quidem tranſmutatio admodum velox eſt. Si autem Mercurius Saturni adhibitus fuit, tam brevi temporis ſpacio non multum emendationis conſecutus eſt. Nihilominus tamen, ut & hoc modo veritas ipſa indagetur, parum Plumbi addendo coqui, in ſcorias redigi & Cupellæ imponi poteſt, in quâ Argenti granum remanebit, documento futurum, quantum emendationis Spiritus Salini trium, aut quatuor

horarum ſpacio conferre poſſint. Sed verus ſcopus non eſt emolumentũ conſequendi, cum nihil aliud niſi ipſam poſſibilitatem duntaxat commonſtret.

Si verò quid commodi ex tali operatione percipiendum eſſet, ad Sublimationem hanc Cucurbita, ex bona & vitreâ terrâ parata, adhiberi, Sublimatuſque Mercurius ex alembico eximi, materiæque ſiccæ in fundo cucurbitæ jacenti rurſus adjungi, ipſaque ſublimationis operatio toties iterari deberet, donec nihil amplius aſcenderet, & cuncta apud Stannum fixa evaderent. Poſteà igne fortiori reddito, Jupiter & Saturnus per Salem maturandi eſſent, ut jam ſuprà docuimus. Eandem Sublimatam materiam, prout in primâ Sublimatione aſcenderit, ſi quis per ſe in vitro aliquo figere, & conſtantem reddere vellet, Tincturam conſequeretur in projectione albo, & rubro colore tingentem, quod poſterius tamen hactenus non tentavi: Nullus tamen dubito, quin illud fieri poſſit. Quoniam enim Materia hæc ſublimata, trium aut quatuor horarum cementatione, licet adhuc volatilis ſit, Cupri laminas penetrat, & de ipſis aliquid, in Auri & Argenti naturam, per gradationem convertit, quidni plus adhuc effectura eſſet, ſi ad fixitatem & conſtantiam debitam deducta, in fuſum aliquod, & fluens Metallum projiceretur? Nam quod in tali albo Sublimato, præcipuè illo, qui ex Lunâ prodit, etiam rubor occultus deliteſcat, & per ignem manifeſtari poſſit, oculis meis vidi, & manibus palpavi; ſed

ſed ipſam operationem, ob varia impedimenta, temporiſque defectum, ad finem hactenus deducere non potui.

Porrò ex tali Mercurio Sublimato, etiam variæ Tranſmutationes elaborari poſſunt, quas divulgare conſultum non eſt. Ipſe ſuâ natura fugax eſt, & volatilis, & tamen alias materias volatiles ac fugaces, ut ſunt Arſenicum, Auripigmentum, Koboltum, & omnium fugaciſſimus Mercurius Vulgi, progreſſu temporis fixas & conſtantes reddit, qui effectus ſoli Sali acceptus eſt ferendus. Qui hanc operationem debito modo tractare noverit, irritos labores non impendet, ſed magnorum Secretorum particeps reddetur, quod Teſtamenti loco Artis Filiis relinquo.

Ut tamen cupido Lectori aliquam ſaltem faculam accendam, ac ipſum certiorem reddam de verâ Tincturâ, quam hic abjectus, & albo colore ſe conſpiciendum præbens Sublimatus Mercurius occulit, ſequentem modum adhuc ſubjungere mihi viſum fuit. Per apta, & Magnetica Subjecta, vivificando & ſeparando, ex hoc Sublimato Mercurium currentem elice, ejuſque particulam, piſo magnitudine reſpondentem, ex Argenteo cochleari evapora; Ubi tota evanuerit, purpureum pulverem in cochleari relictum invenies. Hunc pulverem ferventi Plumbo ſi injeceris, poſt hujus abitum in Cupellâ Auri granum deprehendes. Cochlear ipſum eo loco, ex quo Mercurius in fumum eſt abactus, maculam purpuream oſtendit,

quæ deleri nequit, quia Mercurius Tincturam Cochleari profundè impreſſit.

Dicat mihi jam aliquis, unde granulum illud Auri, in Cupellâ reſiduum, & purpurea illa macula, quæ cochleare Argenteum tinxit, ortum ſuum duxerint. Num ex Plumbo, num ex Stanno, num ex Argento, an verò ex Salinis Spiritibus? Ipſum ex Plumbo, Stanno, aut Argento prodiiſſe maxima pars divinabit. Ego verò dico, ipſum quidem ex Plumbo, Stanno, aut Argento emerſiſſe, Tincturam vero ipſi adjunctam, maximâ ex parte, veram Nitri animam eſſe, quam ſibi Mercurius adſcivit, eandem iterum deſerens, & à ſe dimittens, quamprimum igne vexatur. Nullum verò mihi dubium eſt, ſi talis Mercurius, Nitri animâ impræegnatus, figeretur, & in igne conſtans redderetur, quin Univerſalem Tincturam exhibiturus ſit. Tentavi equidem multoties pluribus parvis experimentis hanc operationem, quæ quandoque votis meis non reſpondit, quantamcunque diligentiam etiam adhibuerim. Sed majori copiâ tentanti nunquam ſucceſſit. In voluntate & arbitrio omnipotentis Dei ſolo hæc res poſita eſſe videtur, qui non vult, ut tanta ſua myſteria & dona profanentur. Inſtar Moſis quidem Terram Promiſſam vidi, ſed tamen non ſcio, an Deus in illam me in hâc vitâ ducturus ſit, ut precioſiſſimis illis fructibus fruar. Quo beneficio licet me Deus non eſſet dignaturus, tamen in eo lubens acquieſco, quod pluſquam ſemel Artis veritatem,

cui

cui multa millia hominum tantâ cupiditate inhiarunt, non tamen eâ felicitate, eoque ſucceſſu, ut illa invenerint, aut viderint, oculis meis viderim, & manibus palpaverim.

Veritatem inquam vidi, non autem Tincturam ipſam ad finem perductam, ſed tamen ejus principium, quod me omninò certum reddit, ut affirmare, & firmiter aſſerere auſim, Tincturam veram in rerum natura exiſtere, & benedictione divinâ, ab Artificis manu, parari poſſe. Tantum quietis & temporis mihi hactenus non ſuppetiit, ut maximi momenti opus hoc ad manus ſumpſiſſem. In animum tamen jam induxi, omnibus mundanis curis, ſolicitudinibus, & negotiis remotis, regium hoc Opus tentare, & exſpectare, quid Gratia Divina mihi largitura ſit. Nam omnia bona nobis ſupernè expectanda ſunt, quandoquidem alias in caſſum laboramus, quantamcunque etiam ſedulitatem uſurpemus.

Hæc ſunt, quæ Veritatis aſſerendæ gratiâ, & Veræ Tincturæ in rerum naturæ exiſtentis probandæ cauſâ in medium afferre volui, ut ita liquido conſtet, tàm Univerſaliter, quam Particulariter Metalla tranſmutari poſſe. Ac ſi hominum perditorum operâ, aut inſperato, ac immaturo obitu, quos caſus Divina Benignitas clementer à me avertat, omnia media tantum Opus perficiendi, & ad finem perducendi mihi præciderentur, poſt mortem tamen meam ipſa Veritas dictis meis teſtimonium perhibere poterit. In promptu enim

adhuc ſunt Argenteæ illæ laminæ, purpureis maculis tinctæ, quæ omni tempore teſtari poſſunt eorum veritatem, quæ hic memoriæ prodidi. Nam ſine tincturâ fieri non poteſt, ut purpureo colore Argentum tingatur. Itaque ſi veritas in albo, & fugace illo Sublimato reperiri poteſt, quidni & in fixâ, atque in igne conſtanti Tincturâ rubrâ inveniri poſſet. Annon fieri poſſet, ut ejuſmodi Tincturâ longè majoris momenti effectus producerentur. Idpropter Veteres, qui firmæ valetudinis, & longæ vitæ deſiderio tenebantur, tantos labores ac ſudores impenderunt, veræ Medicinæ ex humanis, & Metallicis Corporibus eruendæ, quorum nonnulli ad finem optatum pervenerunt, maxima verò pars, irritis laboribus decepti, ſpe ſuâ conceptâ fruſtrati ſunt.

Si cui certo conſtat, in loco aliquo ingentes Auri, Margaritarum, ac precioſorum lapidum theſauros reperiri, ac unicuique eos in ſuum commodum inquirere, conceſſum eſſe, num adeò deſes, & piger futurus eſſet, ut & ipſe iis inveſtigandis operam non daret. Si quis verò cœci more inquiſitionem ſuam ita inſtitueret, ut neſciret, nec videret, quid quæreret, aut quo in loco ſibi quærendum eſſet, neceſſariò certè inanibus laboribus occupatus, & temporis, & laborum, & ſumptuum jacturam faceret, id quod maximæ hominum parti uſu venit, qui irritos labores in quærendo hoc Opere collocarunt, quia cœcos æmulati neſciverunt, quid, & ubi quærendum fuerit.

Credi-

Credibile autem eſt, tantam ipſorum multitudinem à veritate non aberraturam fuiſſe, ſi quis ipſis, quemadmodum hîc feci, locum, ubi theſaurus abſconditus erat, tàm clarè & perſpicuè commonſtraſſet, & quaſi digitis oſtendiſſet. Etjamſi verò invidioſus ac mendax Diabolus, vel maximis viribus veritatem oppugnaret, ac in eam quàm crudeliſſimè ſæviret, nullum tamen hominem indicare poterit, qui majori perſpicuitate, & evidentiâ veritatem in manifeſtum protulerit, quam GLAUBERUS, qui tamen à tot ignorantibus aſinis, calumniatoribus, & perditis hominibus, contrà omnem Chriſtianum morem, imò pluſquam Diabolicè contemptus, & vituperatus eſt. Magiſtratus Supremi certè eſſet, ejuſmodi contemptorum impiorum, ac veritatis oppreſſorum conatus impios cohibere, & libellos ipſorum famoſos, etiam ab Ethnicis prohibitos, prohibere; Imò etiam ejuſmodi hoſtibus veritatis, quando hominum honeſtorum Scripta dentibus ſuis Theoninis aggrediuntur, præcipere, ut errores commiſſos potius commonſtrent, ac aliquid melius in commune conferant, quàm ut honeſtos, & innocentes homines tàm iniquis, & nefandis comitiis, & calumniis proſcindant. Si hoc fieret, Veritas ipſa demum ex tenebris in lucem emergeret, & mendaciſſimi ejuſmodi nebulones in ſummam infamiam & turpitudinem conjicerentur. Facilè autem patior, ut meorum errorum commonear; Si errores ſunt, ſicuti errare huma-

num eſt, erroreſque facili negotio committi poſſunt, ad eos ipſos refutandos, & refellendos promptus & paratus ero.

Quandoquidem verò mihi probè conſcius ſum, quod nihil niſi puram putam veritatem literis mandaverim, atq; meorum ſcriptorum veritatem omnibus horis, coram toto mundo demonſtrare queam, omnium talium hominum diabolicorum, ex mera invidiâ & ſuperbiâ profectum, & in me conceptum odium, ac contemptum, ne hujus quidem facio, pro comperto habens, ipſos in proprium interitum ruituros, & ſibi ipſis turpiſſimas infamiæ & turpitudinis maculas inuſturos: E contrario veritatem profectò, inſtar immotæ rupis, in omnibus talibus mendaciorum Diabolicorum tempeſtatibus, & turbis, immobilem & inconcuſſam manſuram, quamdiu Mundus ſteterit. Sed hæc nullatenus ſufficiunt. Nam juſtus ille Deus aliquando juſtiſſimam ſuam manum extendet, ac veritati opitulabitur, & de iis graviſſimum ſupplicium ſumet, qui puro puto odio Diabolico inflammati, evidentiſſimam veritatem, tàm petulantiſſimo, & maximè temerario auſu perſequuntur. Nec mirum eſſet, ſi Deus etiam ipſorum ſedes, aut totam illam Regionem puniret, in quâ ejuſmodi hominibus perditiſſimis habitantibus, nulla remora objicitur, nec eorum nefandi conatus impediuntur, & repelluntur. Rês & tempus jam illud ſecum ferre videntur, & Turcicus acinaces pluribus in locis Germaniæ ſe

jam in cœlo conſpiciendum exhibet. Deus innocentes conſervet, ac tueatur, ipſaque mendacia, eâdem ruinâ & interitu præcipitet, quâ veritatem obruere & opprimere molita ſunt. Non enim fieri poteſt, quin juſtiſſima ira Divina tandem evigilatura, hypocriticos hos, & falſos Chriſtianos debitâ & meritâ pœnâ afficiat. Deus paucis illis piorum Chriſtianorum reliquiis, angulum aliquem oſtendat, in quem, inſtar pii Lothi ſe recipientibus ipſis, ab imminente, & jam ingruente irâ divinâ, tutis eſſe & manere liceat. Nec pii perſuaderi ſibi patiantur, à turbâ impiorum dicturorum, quis nobis quid faciet? Annon civitas noſtra ſatis munita eſt? quod res omni periculo careant, & viventibus in ſummâ ſecuritate nil ſiniſtri uſu venire queat. Ne ipſis fidem adhibeatis: Nam Deo pœnis meritis mortales affecturo, murus aheneus impedimento eſſe nequit. Ignem de cœlo dejicere poteſt, qui homines & alia cuncta horrendis incendiis conſumat. Quin tempus illud, ut paſſim apparet, haud procul à nobis abeſſe videtur, quam pauci etiam eorum ſint, qui illud credant, aut quibus veriſimile fieri poſſit. Nam plærique mortales nimiâ ſuperbiâ, nimioque luxu excœcati, in ſummâ ſecuritate, & incuriâ vitam degunt, nec Deum nec homines metuentes, quibus, utpote duris cordibus præditis, nec conciones ullæ, nec ulla documenta uſui ſunt, idcircò in ſuâ malitia perpetuo curſu pergentibus, donec olim juſtiſſimâ & potentiſſi-

mâ

mâ manu Dei proſternantur, & peſſundentur. Certum hoc eſt, & infallibile, quod breve tempus proculdubio manifeſtabit.

In præſentiâ igitur adhuc ſemel, coràm toto Mundo evidentiſſimâ demonſtratione oſtendi, & verum eſſe aſſerui, quod non ſolum Imperfectiora Metalla, per Salem & Ignem, realiter in Perfectiora tranſmutari ſe patiantur, ſed etiam vera ex ipſis Tinctura parari poſſit.

Prodeant jam in conſpectum omnes mei inimici, viſibiles, & inviſibiles, aperti, occulti, quocunque etiam nomine appellentur, ac veram Metallorum tranſmutationem clariore, & magis perſpicuâ manifeſtatione in apertum producant, quàm ego hic produxi. Si quid boni cognitum & perſpectum habent, reapſe illud demonſtrent, ac faciant, ut auditu & viſu percipiatur, rem ita ſe habere, ut prædicant, id quod ego feci. Ita enim neceſſario uniuſquiſque dicet ac fatebitur, peritorum ac honeſtorum hominum titulo ipſos dignos eſſe. Sin minus, quam diu hujus Orbis terrarum machina conſiſtet, mendaces homines, honoris ac famæ ſugillatores, ac libellorum famoſorum conſarcinatores cognominabuntur. Vetera pellicea, neſcio unde, petere, & nova ipſis aſſuere, apud prudentes viros ſuſque deque habetur. Si ſcribere quid conantur, illud ex propriâ experientiâ natum oportet ſcribant, ac illa omittant, quæ ab aliis ſcripta audiverunt, & legerunt, tamen de eorum veritate incerti. His quæ dixi hactenus,

acquieſco. Si Deo placuerit, proximâ meâ Tertiâ Centuria res admirandas divulgabo. In hoc parvo tractatu quatuor tantum Secreta ſunt patefacta, attamen tàm clarè, & perſpicuè, ut nemo adhuc tanta ac talia, clarioribus, & magis perſpicuis verbis manifeſtaverit.

Primum enim Inſtrumentum illud ſatis dilucidè deſcriptum, cujus ope, non ſolum ingens copia omnium acrium Spirituum, exiguis admodum impenſis, & facili labore parari poteſt. Horum Spirituum quadruplex uſus Patriæ maximum commodum afferre poteſt.

1. Omne Aurum, Argentum, ac Cuprum, ex pauperioribus mineris, quarum Germania paſſim plena eſt, longè faciliori modò, quàm per fuſionem, eliciuntur, & ad uſum quæſtuoſum transferuntur, ſummo cum totius Germaniæ commodo, quod hactenus nunquam factum eſt.

2. Ex Spiritibus dictis aquam trahens Magnes conficitur, ad emendationem viliorum vinorum, ut ſemper conſtantia maneant, ac faciliori negotio, ex uno loco in alium locum, tranſportari poſſint, ſicut in Secundâ Centuriâ ſignificavi. Secretum eſt, quod divitibus æquè ac pauperibus quæſtum offert, & inſigni copiâ ſe parari patitur.

3. Spiritibus illis Salinis, quorum magna vis comparari poteſt, ſicuti in hoc opuſculo monſtravi, Imperfecta Metalla, diverſis modis emendantur, id quod mea Scripta variè tractant, & docent.

4. Igneorum horum Spirituum Salium, inſigni

ni copiâ paratorum, quod per deſcriptum in hoc Opuſculo Inſtrumentum commodè fieri poteſt, adjumento Chriſtiani Orbis hoſtibus Turcis, ſine omni cæde reſiſti validè poteſt. De his Igneis aquis quæ tantam cladem hoſtibus inferunt, hoc hîc notandum, quod etiam ſine ullâ diſtillatione, ac paucis admodum ſumptibus, magna earum copia acquiſitu ſit facilis.

Nam ſi multa ipſis præſtanda ſunt, neceſſario requiritur, ut magna earum vis in promptu habeatur, ſine quâ nihil magni momenti, hoc in caſu, efficitur. Quo pacto autem his humidis aquis tàm ingens damnum Turcis inferri queat, adeò accuratè hîc deſcribere non valeo, cum rei militaris planè hoſpes ſim & ignarus. Paucis tamen & breviter adumbrabo, quâ ratione fieri poſſe putem, ut hoſtibus reſiſtendo, magnum ipſis damnum inferatur.

Primo harum Aquarum humidarum natura & proprietas ſic ſe habet. Externo aſpectu aquæ ſunt, & inſtar aliarum aquarum communium tractantur. Interna ipſarum vis nil niſi merus eſt ignis. Et quia hæ humidæ aquæ non ſolum ex manu projici, & ex tormentis bellicis majoribus expelli, per artificioſa, & in eum finem parata inſtrumenta procul propelli poſſunt; Ideo earum uſus eſt multiplex, prout neceſſitas poſtulat, ut ad hoſtium depulſionem variis modis adhibeantur. Exemplo rem declarabimus. Poſito, me in urbe aut caſtro aliquo verſari, quod ab hoſtibus obſidione cinctum eſſet, ac penes me habere non-

nulla

nulla id genus Inſtrumenta, quæ ad humidorum Ignium uſurpationem accommodata ſint. Si igitur foſſam, murum, aut vallum hoſtis oppugnare vellet, ac ego poſt murum, aut vallum, eo in loco, quem hoſtis adortus eſſet, defenſione illa mea inſtructus conſiſterem, nullo pacto fieri poſſet ut hoſtis ad me perveniret. Nam humidi illi Ignes per dicta Inſtrumenta longè extrà urbem ejici poſſunt, inſtar igneæ pluviæ, aut nebulæ, quæ pluvia ex unico Inſtrumento expulſa, ſuper plures hominum centurias, longè latéque ſe explicat, & quæcunque attingit, inſtar naturalis ignis urendo lædit, ac cumprimis viſum occæcat, ut oculis proſpicere homines non poſſint. Si igitur hoſtes oppugnando locum aliquem adorirentur, & ejuſmodi pluvia ignea in ipſos projiceretur, ac viſui ipſorum læſo tantæ tenebræ offunderentur, quo pacto tanquam cœci valla, & muros tranſcendere poſſent? Credo, quod ſi etiam muros aut valla ſuperaſſent, atque ita cœci redditi fuiſſent, quod lætitia exultaturi eſſent, ſi rurſus dimitterentur, ut ad ſuos redire poſſent. Sed melius foret, ut de ſcalis muro aut vallo applicatis ita cœci deturbarentur, quàm ut ipſis propius accedere permitteretur. Interim tamen ſi hoſtes, muro, aut vallo ſuperato, etiam in ipſam urbem veniſſent, & nonnullæ domus, in præcipuis locis aut foris, in quibus ſuas vires colligere poſſent, talibus ignibus humidis inſtructæ eſſent, ac ex ipſis tales pluviæ igneæ in ipſos emitterentur, ut occæcati oculos

ſuos aperire non auderent, quidnam quæſo effecturi eſſent, quippe cœci & omni actu videndi penitus orbati? Annon armorum uſu omni depoſito, id unum acturi eſſent, ut ignem ex oculis removerent, qui vix dimidii diei ſpacio ex ipſis amovetur, imò ſi confertim oculos tetigit, vix bidui ſpacio extingui poteſt. Si manibus oculos abſtergere conarentur, longè majores dolores excitarent, ac plus ignis iiſdem admoverent, quia ipſæ manus continua iſtâ pluviâ etiam humectantur, & vexantur. Annon tales hoſpites non invitati lapidibus, ex domiciliis dejectis, obrui, & occidi poſſent? Annon unica mulier, parvo duntaxat ejuſmodi Inſtrumento, ignibus his humidis repleto, ædes ſuas contra centum milites defendere poſſet. Meo quidem judicio major defenſio fieri poſſet, parvo ejuſmodi inſtrumento, quod aliquis ſecum portare poſſet, quam decem, aut etiam centum ſclopetis, aut Muſquettis, ut vocant. Nam centum ſclopeta etiam centum ſclopetarios requirunt, qui omnes poſtquam ſemel ſclopeta ſua exonerarunt, & 10, aut 12. viros proſtraverunt, quod tamen in talibus caſibus non frequenter evenire ſolet, aliquo tamen temporis ſpacio ipſis, ad ſua ſclopeta rurſus oneranda, opus eſt, ſi ipſis exonerandis pergere cupiunt. Hoc autem Inſtrumento etiam mulieres uti poſſunt, quarum duæ aut tres forſan plus detrimenti allaturæ eſſent, quam 20, aut 30, imò forte 100. viri ſclopetis ſuis inferre poſſent. Ac ſi mulieres, aliique imbel-

imbelles homines ſuos hoſtes excæcarent, armati viri eoſdem occæcatos facere captivos poſſent, ut non occiſi, ſed capti laboribus & aratris adhiberentur, id longè utilius foret, quam ſi vitâ ſuâ ſpoliarentur. Annon igitur centum milites, meorum Inſtrumentorum operâ, majore & certiore defenſione, fortalitium aliquod defenſuri eſſent, quàm alias mille viri? Poſſent profectò, ut ego arbitror. Nam hi mei ignes occæcantes, ſive igneæ nebulæ, & pluviæ cæteris armis militaribus uſitatis, & conſuetis adjunctæ, maximo certè damno hoſtes afficerent, nec tàm grandi manu militari opus eſſet, cæterorum armorum uſus ab ipſis civibus, & inſtrumentorum ipſorum uſurpatio à mulieribus, & liberis adminiſtraretur, quibus ſe forſan fortius defenſuri eſſent, quam ſi lectis, & conſcriptis militibus defenſionem ſuam concrederent. Hæc enim Inſtrumenta, per quæ humidi ignes, inſtar ignearum pluviarum & nebularum, procul in hoſtes, ſine intermiſſione, & quandocunque opus eſt, propelluntur, licet magna ſint, à paucis hominibus regi poſſunt, adeò ut hoſtibus impoſſibile ſit, oppugnandâ aliquâ urbe, quicquam efficere. Neceſſe autem eſt, ut ejuſmodi Inſtrumenta ignem exſpuentia, à tergo murorum, & vallorum ita conſtituantur, ut ab hoſtium machinis bellicis lædi, aut deſtrui nequeant. Equidem tàm accuratè, & perfectè oſtendere nequeo, quo pacto ipſorum ope, damnum hoſtibus inferendum ſit, quod praxis ipſa

melius indicabit. Inſtrumenta ipſa, & humidos ignes ad ipſos pertinentes, ſubminiſtrare poſſum. Militibus uſum commendo, qui ipſis utentur, prout experientiâ uſum invenient, & addiſcent. Idem, quod hactenus aliquoties dixi, repeto, & affirmo, quod uno ejuſmodi inſtrumento, aliquot hominum millia, momento citius excæcari queant, qui excæcati quid quæſo efficient? Si alii ſubſidio venire, aut eos abducere conabuntur, eâdem cæcitate oculorum uſu privabuntur. Aufugere quoque non poſſunt, atque ita captivitatem ſubire cogentur. Atque hoc, ut ego quidem intelligo, in hoſtili impetu, aut oppugnatione effici poteſt.

An verò talium Inſtrumentorum uſus aliquis, in præliis, & pugnis cum hoſtibus, eſſe queat, cognitum, & perſpectum non habeo: Sed urbem, caſtellum, aut domum aliquam, eorum operâ defendere, & impetum facientes hoſtes abigere, res eſt indubitata, & evidens. Licet vel mille milites particularis alicujus civis ædes oppugnarent, tamen ipſis recedendum eſſet, ſi tantum, oſtiis, & feneſtris occluſis, ignea ejuſmodi nebula, aut pluvia in ipſos emitteretur. Sic enim cæcitate obruti, oſtium nec invenire, nec videre poſſent, ſicuti factúm eſt tempore Lothi, quo hoſtes ipſius domum oppugnantes, ut duos iſtos peregrinos extraherent, tantâ tenebrarum obſcuritate, percuſſi ſunt, ut oſtium domus relinquere coacti fuerint, ac ipſi Lotho cum ſuis, ſine ullius impedimento,

mento, ex iiſdem egredi licuerit. Annon & nobis Chriſtianis liceret, noſtros hoſtes capitales Turcas, cœcitate percutere, ac nos, noſtraſque uxores, & liberos defendere?

Deus ipſe dicit; Meos igneo muro circundam, & contra hoſtes ſuos defendam. In ſumma, hæc Inventio mea igneam nebulam, aut pluviam efficiendi, incomparabilis eſt defenſio, & tutela, cui ſimilis nunquam adhuc in Mundo cognita fuit. Quidnam verò etiam offenſive eadem illa Inventione præſtari poſſit, facili conjecturâ quivis providere poteſt. Exempli gratiâ: Neceſſitas poſtulat, ut hoſti aliquis locus eripiatur; ſed neque tempus ſufficiens ſuppetit, neque etiam militum numerus, qui requiritur. Stratagemate itaque opus eſt, quò in poteſtatem una ſaltem porta redigatur, ut ita milites intromitti poſſint.

Porta verò aliqua ut occupetur, meo judicio, facilè per meos humidos ignes fieri poſſet; nimirum ita, ut miles aliquis, ad hanc rem aptus, doceretur uſum meorum ignem exſpuentium Inſtrumentorum, eoque percepto, ruſticis veſtibus indutus, cum Inſtrumento tali ſe conferret ad excubitores, in porta excubias agentes, ac in ædibus illis, in quibus excubias agunt, cunctis igneum, excæcantem, & anhelitum ſtringentem nebulam offunderet. Qua ratione, quæſo, excubitores iis reſiſterent, qui ad portam adventantes, & jam parati eam ingrederentur? Imò militi dicto habitu ſubornato, ignivomus globus, qui Granatus ap-

pellatur, in ſacco portandus dari poſſet, quem humidis illis ignibus repletum, propriis ſuis viribus, ſine ullâ pulveris pyrii additione diſſilientem, totum illum locum excœcante ſua nebula implentem, ac omnes præſentes ad pugnandum ineptos reddentem, in ædes illas, in quibus excubiæ aguntur, projiceret. Ac ſi illarum ædium plures quam una eſſet, eidem militi etiam plures tales globi dandi forent, quorum quemvis in ædes, quas offendit, immitteret. Imò, ſi opus, aut etiam melior & certior eventus inde ſperandus eſſet, diverſi milites, cum ejuſmodi globis ignivomis, ad portas diverſas, ablegari poſſent, ut excubiis peſſundatis occuparentur. Excubitores enim nihil mali ſuſpicantes, ob unum ruſticum ad arma non conclamabunt, ſed ei, ſine ullo impedimento tranſitum concedent. Poſſent quoque ex ferro, cupro, aut etiam terra tales globi ignem vomentes confici, qui tamen ignes propriè non ſunt, quamdiu aërem non ſentiunt, ac ignes duntaxat evadunt, quandocunque alicui placet, inſtar pulveris pyrii cuncta, quæ attingunt, confringentes, adurentes, ac quoſvis homines præſentes viſu orbantes, ac ægros reddentes. Confecti hac ratione globi, ac capitis virilis magnitudinem exæquantes, ſine aëre flammam ultrò non concipiunt, nec etiam diſſiliunt, aut ullam operationem faciunt. Si autem aër intromittendus eſt, ut operetur, epiſtomium parvum ex globo extrahendum eſt, ut foramen, per quod aër intromiſſus ignem in globo latentem

tem vivificat, ipſi aëri introeunti patere poſſit. Globo ejuſmodi in domum aliquam excubitoriam projecto, excubitores proculdubio accurrerent, eum ſublaturi, & viſuri, quidnam eſſet, & quem in finem eum quis eò projeciſſet. Omnibus igitur circumſtantibus, ac contemplantibus, ſi fortè fortuna, id quod proculdubio futurum eſſet, epiſtomium illud quis extraheret, attracto aëre ignis incenſus, globum venenato illo igne refertum, in fruſta confracturus, & omnes circumſtantes ſimul proſtraturus eſſet. Annon interea milites approperantes, ſine omni impedimento, in munitum illum locum irrumpere, & portas in ſuam poteſtatem redigere poſſent? Equidem certò rem ſucceſſuram arbitror. Meditationes meas ſuper hâc re aperio: Rem ipſam nunquam tentavi, nec etiam unquam tentare deſidero. Qui ejus experiundæ deſiderio tenentur, & illud faciendi occaſionem, & commoditatem habent, eam accuratioribus contemplationibus perquirant, ità comperturi, quo pacto hoſtibus detrimentum maximum, quam commodiſſimè inferri poſſit. Fundamentum locavi: Aliorum eſt, pergendo naviter rem ad exitum utiliſſimum deducere. Nullum verò mihi dubium eſt, quin maxima hominum auditurorum, igneis aquis effectus eos produci poſſe, qui pulveris pyrii horrendas operationes exæquent, pars me ludibrio exceptura, ac rem ipſam impoſſibilem judicatura ſit. Quod tamen mirum non eſt, quia nullam Naturæ cognitionem habent.

 Ante-

Antequam horrendæ illæ pulveris pyrii vires vulgo innotuerunt, nemo certè crediſiſſet, ſi auditu percepiſſet, fieri poſſe, ut tàm pauco pulvere, tàm ponderoſus globus ferreus, in tàm procul remotum locum projiceretur. Adeò vulgare illud jam eſt, ut riſu exciperetur, qui illud credere nollet. Pari ratione maxime mira, & abſurda videbuntur ignaris ea, quæ hic de Humidis Ignibus in medium profero, donec tandem oculis videbuntur, & manibus palpabuntur, quod adhuc hâc æſtate Turcæ ſentient, ſi Deus permittet, & mihi valetudinem incolumem conſervabit. Si Deus, inquam, permittet, quod ita intelligi volo, nempe niſi Dei ira adeò in Chriſtianos inflammata fuerit, ac proinde impediverit, quominus ullum auxilium, quantumvis magnum, aliquid emolumenti adferre poſſit. Nam Deo volente aliquam regionem meritis pœnis affligere, nulla defenſio certè quidquam efficiet, aut promovebit.

Pauca hæc in præſentiâ indicare volui, demonſtrandi cauſâ, quonam pacto per ejuſmodi artificioſos Ignes Humidos, & peculiare globorum ignœorum, quales nunquam adhuc in mundo cogniti fuerunt, genus, hoſtium potentia infringi poſſit. Sunt quidem alii longè majores, & hominum fidem ſuperantes effectus, qui hiſce meis noviter inventis Ignibus effici poſſunt, non tamen pennæ concredendi, ſed iis duntaxat revelandi, qui Patriæ Communi optimè conſultum volunt, ac capitalem totius Chriſtiani Orbis hoſtem detrimen-

trimento afficere ſtudent. Hoc autem addo, quod per artificioſos, ſecretos, & ignotos Ignes, pro arbitrio alicujus, quocunque vult tempore, ardentes, & flammam concipientes, longè majora præſtari poſſint, meo judicio, quàm per pulverem pyrium, qui non prius operatur, quàm per ignem accendatur. Mei verò Ignes ab aëre accenduntur, & inflammantur, atque idpropter, majorum effectorum productione, ipſum pulverem pyrium neceſſariò ſuperare debent, quod tempus patefaciet. Vulgares illi globi ignei, ſive Granati, in urbem aliquam projecti, tegminibus humidis operiri, & extingui poſſunt, ut omninò nihil operentur, quod Inſtrumentis meis uſu venire nequit. Hinc non immeritò, ſed jure pulveri pyrio à me præferuntur.

Non conſultum eſt hîc pluribus verbis, longiorem, his de rebus, diſſertationem inſtituere, ac plurium revelatione longius exſpatiari. Paucis imò verbis innuere poſſem ea, quæ unuſquiſque manibus palpare, & oculis cernere poſſet, ita clariſſimè cogniturus, longè plura, & majora meis Ignibus, quàm pulvere pyrio, efficere in proclivi eſſe. Unicuique integrum eſt, cum pulvere pyrio, etiam meos Humidos Ignes, aut cum meis Ignibus Humidis, etiam pulverem pyrium in uſum adhibere, prout ipſi conſultum viſum fuerit, aut neceſſitas illud poſtulaverit. Nullus etiam dubito, longè alio modo inpoſterum, quàm hactenus, bella geſtum, ac arti apud vires locum da-

tum iri. Nam ars quandoque vires ſuperat. Exemplo rem illuſtrabimus.

Quando parvus, debilis,cum majore aliquo, & fortiore dimicat, ac uterque pati artis cognitione pollet, fortior debiliore ſuperior evadit, & ipſum vincit. Si verò parvus armorum peritia fortiori, majori, ac rudiori antecellit, ille, debellato hoc, victoriâ potitur. Duobus autem eadem ſtatura, & iiſdem viribus præditis, in pugna pares ictus concurrunt, utroque ſe mutuò contundente, inſtar lotricum, quæ linteamina ſua percutiunt, adeò ut unus cum altero æquali portione verbera partiatur. Sic apud Veteres viritim pugnatum eſt, ac verberum fortitudo menſura fuit. Poſt inventum pulverem pyrium, pauci plures alios cædere, in fugam conjicere, & vincere potuerunt. Eodem jam in vulgus noto, viritim rurſus dimicare pugnantes ſolent, neutro plus adjumenti præ altero habente, niſi quod fortior pars ut plurimum victoriam obtineat, adeò ut hodierna bella non in arte, ſed hominum multitudine, & copiâ conſiſtant. Interim firmiter ſpero, ſi meorum Humidorum Ignium uſus innotuerit, longè aliâ ratione belligeratum iri, quàm nunc fit, ubi viritim, ictibus permutatis, quod apud ruſticos ſolenne eſt, pugnatur, ac fortior debiliore ſuperior evadit. Artis autem ope fortiorem debilior ſuperare poteſt. Si verò ars, & robur concurrunt, efficaciſſima eſſe ſolent. David ſuâ fundâ fretus artis ſuæ peritiam oſtendit, ac proſtravit magnum

illum

illum Goliathum, qui hoc ab opilione ejuſmodi parvo non expectaverat. Sicut autem Goliathus Davidem cum ſuâ fundâ ludibrio habebat; Ita etiam Turca nos ludibrio forſan haberet, ſi ejuſmodi aqueis inſtrumentis ipſi occurreremus. Sed ſicut ingens ille Goliathus ab opilionis ſervo lapide proſtratus occubuit: Ita etiam facilè Turca, ſi modò Chriſtiani ipſi vellent, illis Humidis Ignibus comburi, & radicitus extirpari poſſent.

Objiceret hîc aliquis, ac diceret; Quid conſilii capiendum, ſi forſan perfidus aliquis Chriſtianus ad Turcas transfugeret, ac talia arma ipſis ſubminiſtraret, quibus ipſi contra Chriſtianos rurſus uterentur? Sed tale quid cautione accurata prævenietur, ſi non cuivis hæc ſecreta revelentur, ſed iis tantum, qui noti, ac poſſeſſionibus ſuis præditi, uxores & liberos habent, haud facile paſſuri, ut precio aliquo alliciantur, aut corrumpantur. Accedit, quod non tam facilè cuncta mox in vulgus abitura ſint, cum ipſa ars non in unâ, aut duabus ſed plùribus rebus conſiſtat. Idcirco fieri non poteſt, ut illico tales inventiones in hoſtium manus incidant, idque propter nonnullas, ac certas cauſas, quarum enumeratione hic ſuperſedeo. Imò ſi neceſſitas poſtularet, accuratiore meditatione res ipſa inveſtiganda eſſet, ut plures ejuſmodi Inventiones excogitarentur. Facilè hoc efficietur ab hominibus, ſagacioris ingenii perſcrutatione, res quaſcunque penetrantibus, quibus factu facile erit, Inventis addere, & eadem emendare. Natura

enim

enim ditiſſima, nullo unquam tempore, abſolutâ indagatione, perquiri poteſt. Proinde ego ipſe, dictas Inventiones meas, brevi magnâ acceſſione augendi ſpem concepi. Si mihi Deus vitam prorogaverit, admiranda adhuc à me in lucem proferentur, Patriæ ſalutem ac felicitatem mirè promotura, præcipuè verò, ſi grati animi memoriam apud homines invenero.

Nullum porrò mihi dubium eſt, plurimos in admirationem raptum iri, ſi viderint, hæc mea noviter inventa Inſtrumenta bellica, publicis ſcriptis in lucem edita, quod nunquam facere volui, utpote qui in animum induxeram, eos duntaxat eorundem cognitionis participes reddere, qui ipſis indigerent.

Quoniam autem cum uno, itemque altero, quos benevolo, & amico animo mihi addictos arbitratus fui, de his rebus contuli, & nimis apertè rem ipſam eloquutus ſum, aliquam ipſius artis partem arreptam nacti ſunt, ipſaque inſtrumenta apud opifices, quibus conficienda dederam, viderunt, ac proculdubio, ſe totius Artis cognitionem conſecutos eſſe, ſibi perſuaſerunt. Hinc inviſibiles facti ſe ſubduxêre, adeò ut mihi ſuſpicio inciderit, homines iſtos perfidos in Magnatum aulas ſe recepiſſe, ut has meas Inventiones pro ſuis offerant, & venditent. Ut igitur tali perfidiæ obviam irem, de his rebus publico Scripto, aliquid in lucem edere, conſultum mihi viſum fuit, ut, quibuſdam hominibus talia pro ſuis venditantibus,

tibus,

tibus, unicuique innoteſcat, inventa eſſe à me, non verò ab ipſis, qui mihi eadem fraudulenter ſurripuerunt. Eos hîc excipio, quibus eâ gratiâ eadem patefeci, ut contrà Turcam uſurpent.

Et quoniam facili conjecturâ augurari poſſum, hæc mea noviter excogitata Inſtrumenta militaria, à Summorum & Imorum quàm plurimis deſideratum, & quæſitum iri, operæ precium duxi, ejuſmodi Inſtrumentorum nonnulla, cum Humidis Ignibus ad eadem pertinentibus, apparanda curare, & in ea loca mittenda, in quibus Turcas damno afficere poſſunt. Proculdubio enim his meis noviter inventis Inſtrumentis, hoſtibus illis noſtris capitalibus, longè fortius reſiſtetur, quàm unquam pulvere pyrio fieri poteſt. Hic enim prius operari non ſolet, quam igne accendatur, quam accenſionem, & inflammationem Ignis prohibet, cum mei Humidi Ignes ejuſmodi impedimenta penitus eludant. Hinc omninò fieri poteſt, ut iiſdem æquè ex profundis aquis, quàm pulvere pyrio extra aquam, globus igneus emittatur, id quod profectò incredibile quidem videtur, ſed factu facile eſt illi, qui talium rerum cognitione imbutus eſt.

Pauca hæc monenda adhuc reſtant, ne quis nimis præmaturo, ac præconcepto judicio, de meis hîc patefactis Secretis, ſententiam ſuam ferat, niſi ſibi ipſi infamiæ maculam inurere velit, ſed tamdiu expectet, uſque dum ipſius rei fundamentum totum cognitione ſuâ percipiat. Multa adhuc

adhuc in occulto latent, quæ antè Mundi finem, ſicut vaticinia prædixerunt, manifeſtari debent. Tempus hoc magis ac magis appropinquat, licet tàm paucis hoc veriſimile videatur. Sed ego penitus eâ opinione imbutus ſum, tàm admirandum tempus inſtare, quàm admirandum à diluvio ad hæc noſtra tempora nec auditum nec viſum eſt. Deus pios tueatur, & malos convertat. AMEN.

FINIS.

Ad 1 1457999